



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. V. An Rescripta extinguantur, seu expirent per mortem concedentis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. V.

*An Rescripta extinguantur, seu
expirent per mortem concedentis?*

Rescripta Gratia à Principe concessa, cum Clausula: *usque ad beneplacitum illius, vel dum voluerit concedere, vel dum placuerit concedenti*: expirat per mortem tam naturalem quam civilem concedentis, sine aliâ revocatione, *e. si gratosè s. b. t. in 6.* Si verò concedens dicat, *donec revocavero*, non expirat per mortem concedentis: sicut enim, ut in illo casu expiret rescriptum, plus non requiritur, quam ut expiret voluntas concedentis, sive ut non maneat amplius beneplacitum aut voluntas

concedentis, quod fit, quando naturaliter vel civiliter (per depositionem scilicet ab officio, vi cuius potentiam habet ad concedendam talem gratiam) moritur concedens, ita ut in hoc casu, *donec revocavero*, expiret rescriptum, requiritur positivus actus revocans, qualis actus positivus non est, sola mors concedentis. Similiter non expirant rescripta gratia per mortem concedentis, si concessa sint cum clausula, *usque ad beneplacitum sedis Apostolicae*, vel cum clausula, *usque ad Pontificis concedentis, & sedis Apostolicae placitum*, cum in utroque casu sedes Apostolica maneat, etiam post mortem Personæ concedentis, prout etiam habetur in *Gloss. in relatum e. si gratosè V. perpetuo.*

TITULUS IV.

DE CONSUETUDINE.

SECTIO I.

De Consuetudine, & requisitis ad eam inducendam.

§. I.

Quid, & quoruplex sit Consuetudo?

Duobus modis accipi solet consuetudo 1. pro ipso usu diuturno, sive moribus ipsis, & actibus à Populo frequentatis, & hæc consuetudo dicitur facti consuetudo. 2. Accipitur pro ipso iure, sive lege ex ejusmodi moribus, & actibus publicis, totius populi, vel majoris partis, orta, & dicitur consuetudo juris, sive jus moribus constitu-

Compend. Pirhings.

rum. Differt autem consuetudo à traditione in hoc, quod hæc originem suam habeat non ex usu, seu frequentatione actuum similium, sed ex institutione alicujus juris, quod hominibus à legitimo legislatore datum est, non tam scripto, quam verbo, & per continuum usum facti conservata est; à stylo curiæ verò differt, quod stylus curiæ potissimum attendat materiam, consuetudo verò certam materiam non respiciat, &c.

Dividi solet consuetudo in generalissimam, quæ toti V. G. orbi, vel centè toti Ecclesiæ communis est; in specialem, quæ viget in aliquo oppido, pago, urbe &c. & in specialissimam, quæ uni familiæ V. G. communis est; in eam,

F

quæ